

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica**

**Schurzfleisch, Konrad Samuel**

**Berolini, 1599 [i.e. 1699]**

LXXXIV. Ex lisdem

**urn:nbn:de:bsz:31-102564**

§. XIII. Quantopere Patres, quos praedixi, Regum sanctitati parcant, experientia rerum magistra docet, exemplumque *Ioannis Marianae* confirmat. Equidem isti per omnia ab *Anabaptistarum* grege dissident, et a furente secta abstantur prorsus atque abhorrent, sed in eo plerique Marium et Jugurtham imitantur, quod Reges, qui summae rerum praesunt, non reverenter petunt. Contra quos proceres Britannici solenni iurisiurandi formula se muniunt, conceptisque verbis fidem obligant: *Iuro, quod ex corde abhorreo, atque abiuro, tanquam impiam atque haeticam hanc damnabilem doctrinam et propositionem, quod Principes per Papam excommunicati, possint per suos subditos, vel aliquos alios quoscunque deponi, aut occidi.*

§. XIV. *Labadaeani* affectae cum *Tremulis* non omnino paria faciunt, nec alio loco sunt apud *Reformatos*, quam *Quictistae* apud Pontificios.

§. XV. Consensus repetitus Thologorum recte sentientium tessera ex praescripto Conf. Aug. merito celebratur. Non longa aetas (inverto *Sym-machi* verba idolorum cultui patrocinantis) sed veritas auctoritatem religioni facit: Haec servanda est semper sine labe, haec regula et amussis retinenda constanter sine dubitatione;

## LXXXIV. EX IISDEM.

**G**etae et Gothi minime debent confundi.

§. II. Gothi etiam cis mare, insignem Germaniae magnae tractum incoluerunt, atque hinc longe lateque colonias duxerunt.

§. III. Svevi Semnonēs, ultimis Germaniae seculis, usque ad vicinam *Albis* nostri ripam sedes porrectas habuerunt.

§. IV. His emigrantibus *Venedi*, speciatim *Sorabi* successerunt: hos primum *Franci* secundae stirpis: tum *Vitikindei*, postremo *Ascanii Saxones* in ordinem redegerunt.

§. V. *Francia*, regnante *Carolo M.* longius fines suos protulit, et anno *DCCLXII.* Saxoniam versus, limitem habuit *Dimolam*, deinde promovit ad *Lupiam*, hinc ad *Visurgim*, tum ultra *Alcim*, usque ad *Eidoram* amnem, Saxoniae *transalbinæ* terminum, inter *Francos Danosque* constitutum.

§. VI. Saxoniae ius nomenque a *transalbino* isthoc limite, in has oras traductum est, adeo ut multis abhinc seculis *Sorabia* Saxonibus subiecta, desierit esse *Soraborum*.

Yyy yyy

§. VII.

§. VII. Anafus olim inter Franciam Aufraticam, et Hunnorum, quibus Hungari successerunt, regionem limes fuit: Sed mutatis postea finibus, pars superioris Pannoniae detracta est, quae Germaniae coniuncta, Austriae accessit.

§. VIII. Austria deinceps Hungariam, ex diversa causa acquisitam, multis felicibusque incrementis nobilitavit, et regiones antea Hungariae coniunctas, Dravo Savoqve superatis, auspicio LEOPOLDI AVG. magni Imperatoris, denno in obsequium redegit.

§. IX. Vt aevo Romanorum duae Pannoniae, sic et Daciae duae appellatione sunt: Sed duae Venetiae in bonis emendatisque codicibus nusquam leguntur.

§. X. Dacia quondam Orientis Imperio attributa est, cuius metropolis fuit Iustiniana prima, urbs Macedoniae clara, ad Lychnidum lacum.

§. XI. Posteris seculis cum res Christiana apud Hungaros invalesceret, Colocia, quam Danubius alluit, Regum Hungararum auspicio, honorem sibi dignitatemque Metropolitanam suscepit.

§. XII. Nostra memoria haec regio opima et fertilis, regno Hungariae, cui antehac innexa fuit, postlimino se coniunxit.

§. XIII. Absurdi sunt, qui Albam Iuliam putant esse Coloniam Vlpianam Traianam, quae tabulae veteres, et prisca monumenta recte et evidenter distinguunt.

§. XIV. In finitimis Daciae regnis, ac praesertim in Dalmatia, celebris fuit *Megazupani* dignitas, quae perperam legitur ab hominibus Craeco-Salvitarum antiquitatum ignavis.

## LXXXV. EX HIST. CIV. VARIA.

**F**ines Flandriae veteris recte constituuntur auctoritate et fide *Audoeni*, antiquissimi rerum Flandricarum scriptoris. Ab hoc lucem accipiunt Meyerus, Marchantius, Lindanus, alique.

§. II. Circumscripta olim exiguis finibus regio, non fuit vetus, nec prima Francia, ut quidam affirmant, atque inter hos *Olivarius Vredius*.

§. III. Ergo priscae Francorum sedes in Gelria quaerendae sunt, quas multis abhinc seculis Procopius Caesariensis indicavit.

§. IV.